

Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum,  
quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,  
unde ruunt totidem uoces, responsa Sibyllae.  
uentum erat ad limen, cum uirgo 'poscere fata 45  
tempus' ait; 'deus ecce deus!' cui talia fanti  
ante fores subito non uultus, non color unus,  
non comptae mansere comae; sed pectus anhelum,  
et rabie fera corda tument, maiorque uideri  
nec mortale sonans, adflata est numine quando 50  
iam propiore dei. 'cessas in uota precesque,  
Tros' ait 'Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent  
attonitae magna ora domus.' et talia fata  
conticuit. gelidus Teucris per dura cucurrit  
ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo: 55  
'Phoebe, grauis Troiae semper miserare labores,  
Dardana qui Paridis derexti tela manusque  
corpus in Aeacidae, magnas obeuntia terras  
tot maria intraui duce te penitusque repostas  
Massylum gentis praetentaque Syrtibus arua: 60  
iam tandem Italiae fugientis prendimus oras.  
hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta;  
uos quoque Pergameae iam fas est parcere genti,  
dique deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens  
gloria Dardaniae. tuque, o sanctissima uates, 65  
praescia uenturi, da (non indebita posco  
regna meis fatis) Latio considere Teucros  
errantisque deos agitataque numina Troiae.  
tum Phoebo et Triuiae solido de marmore templum  
instituam festosque dies de nomine Phoebi. 70  
te quoque magna manent regnis penetralia nostris:  
hic ego namque tuas sortis arcanaque fata  
dicta meae genti ponam, lectosque sacrabo,  
alma, uiros. foliis tantum ne carmina manda,  
ne turbata uolent rapidis ludibria uentis; 75  
ipsa canas oro.' finem dedit ore loquendi.

At Phoebi nondum patiens immanis in antro  
bacchatur uates, magnum si pectore possit  
excussisse deum; tanto magis ille fatigat  
os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo. 80

ostia iamque domus patuere ingentia centum  
sponte sua uatisque ferunt responsa per auras:  
'o tandem magnis pelagi defuncte periclis  
(sed terrae grauiora manent), in regna Lauini  
Dardanidae uenient (mitte hanc de pectore curam), 85  
sed non et uenisse uolent. bella, horrida bella,  
et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.  
non Simois tibi nec Xanthus nec Dorica castra  
defuerint; alias Latio iam partus Achilles,  
natus et ipse dea; nec Teucris addita Iuno 90  
usquam aberit, cum tu supplex in rebus egenis  
quas gentis Italum aut quas non oraueris urbes!  
causa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris  
externique iterum thalami.  
tu ne cede malis, sed contra audentior ito, 95  
qua tua te Fortuna sinet. uia prima salutis  
(quod minime reris) Graia pandetur ab urbe.'

.....  
hic uir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,  
Augustus Caesar, diui genus, aurea condet  
saecula qui rursus Latio regnata per arua  
Saturno quondam, super et Garamantas et Indos  
proferet imperium; iacet extra sidera tellus, 795  
extra anni solisque uias, ubi caelifer Atlas  
axem umero torquet stellis ardentibus aptum.  
huius in aduentum iam nunc et Caspia regna  
responsis horrent diuum et Maeotia tellus,  
et septengemini turbant trepida ostia Nili. 800  
nec uero Alcides tantum telluris obiuit,  
fixerit aeripedem ceruam licet, aut Erymanthi  
pacarit nemora et Lernam tremefecerit arcu;  
nec qui pampineis uictor iuga flectit habenis  
Liber, agens celso Nysae de uertice tigris. 805

.....  
Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:  
'aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis 855  
ingreditur uictorque uiros supereminet omnis.  
hic rem Romanam magno turbante tumultu  
sistet eques, sternet Poenos Gallumque rebellem,  
tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.'  
atque hic Aeneas (una namque ire uidebat 860

egregium forma iuuenem et fulgentibus armis,  
sed frons laeta parum et deiecto lumina uultu)  
'quis, pater, ille, uirum qui sic comitatur euntem?  
filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?  
qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso! 865  
sed nox atra caput tristi circumuolat umbra.'  
tum pater Anchises lacrimis ingressus obortis:  
'o gnate, ingentem luctum ne quaere tuorum;  
ostendent terris hunc tantum fata nec ultra  
esse sinent. nimium uobis Romana propago 870  
uisa potens, superi, propria haec si dona fuissent.  
quantos ille uirum magnam Mauortis ad urbem  
campus aget gemitus! uel quae, Tiberine, uidebis  
funera, cum tumulum praeterlabere recentem!  
nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos 875  
in tantum spe tollet auos, nec Romula quondam  
ullo se tantum tellus iactabit alumno.  
heu pietas, heu prisca fides inuictaque bello  
dextera! non illi se quisquam impune tulisset  
obuius armato, seu cum pedes iret in hostem 880  
seu spumantis equi foderet calcaribus armos.  
heu, miserande puer, si qua fata aspera rumpas,  
tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis